

ponitendi, præteritos stimulos patitur, titillationem carnis et incentiva peccandi, ut per hæc, quæ corrigi cupimus cogitando, rursus sit materia delinquendi. (S. HIER. III. ep. cxlvii. *ad Am.*) Quod ipsum etiam Rupertus Abbas sentit dicens: Luxuria cum hominem imbuert, numquam dicit, *sufficit!* et licet ad horam extingatur sitis ejus, statim exardescit, ait ergo: Fornicati sunt, et non cessaverunt, nam et usque ad decrepitam ætatem in ceno libidinis computruerunt. RUPERT. ABB. I. II. in *Osee*.

Quia bestiale, et Christiano homine indignum est; hinc a Davide luxuriosi equis et mulis, quibus non est intellectus; a S. Petro sui in volutabro luti lotæ; a S. Juda Apostolo fluctibus feri maris despumantibus suas confusiones comparantur.

Quia hoc vitium summe perniciosum est: I. Corpori, cum, Avicenna teste, plus uno actu venere debilitetur corpus, quam si quadragies tantum emitteret sanguinis; hinc, ut S. Chrysos. loquitur, luxuriosi resoluta circumferunt corpora, atque agmine quodam infirmitatum repleta; unde semper est eis vita cum medicis et medicamentis, sensus autem ipsi tardi, graves, obtusi, et quodammodo sepulti. (S. CHRYS. in h. *Nemo læditur*.) Et præterea morbos gravissimos creat, uti Pineda ostendit dicens: Exsolutio virium, cruditates stomachi, sensum hebetudo, tremor et dolor articulorum, dolor renum, cerebri, capitis, dolor artuum, ilium, cordis, hepatis, pulmonis, dentium, oris graveolentia, alopecia, id est, capillorum defluxio, palpebrarum demissio, cæcitas, sputum sanguinis, ulcera, febris hectica, phthisis, apoplexia, paralysis, epilepsia, fæda scabies, atque omnia mala. PINEDA. in c. vii. *Ecl.*

2. Animæ; est enim ignis usque ad perditionem devorans et omnia eradicans germina. (JOB. xxxi. 12.) Et ut Boetius dixit:

Habet omnia hoc voluptas,
Stimulis agit furentes,
Aplomque par volantum,
Ubi grata mella cadit,
Fugit, et nimis tenaci
Perit iacta corda morsu.

Hinc Salomon: Favus distillant labia meretricis; novissima autem ejus amara quasi absynthium et acuta quasi gladius anceps. PROV. v. 3.

3. Fortunis et opibus, quas plerumque luxuriosi ad exemplum filii prodigi cum me-

triciis dissipant. Id quod aliqui recte deducant ex visione, quam Pharao de septem vaccis Nili ripam pascentibus habuit, quæ pulchræ nimis obesitas carnibus erant; et ecce has sequabantur alie septem, in tantum deformes et macilentæ, ut nunquam tales in terra Egypti viderim, quæ devoratis et consumptis prioribus, nullum saturitatis dedere vestigium, sed simili macie, et squalore torpebant. » (GEN. xli. 18.) Omnia in figura contingebant illis. In Egypto namque lujus mundi, vaccæ tenues et macilentæ, devorant crassas et obesas, dum lascivæ mulieres proficiunt, et ditantur in pecunia, munusculis, aliisque bonis terrenis, quæ de illorum manibus accipiunt, qui in illarum inhonesta societate turpes appetitus suos exsatiant et explent; quæ qui nutrit scortum, perdit substantiam.

S. Bonaventura breviter enumerat damna, dicens: Damna luxuriæ sunt sex. Primo, hominem ducit ad maximam paupertatem, auferit gratiam et gloriam, et propriam substantiam. Secundo, dejicit in pessimam servitutem, facit, quod vilior et turpior pars, quæ est in homine, dominetur ei. Tertio, projicit hominem in maximam vitilitatem, quia hominem, qui similis est Deo et Angelis, facit esse parem brutis. Quarto, privat hominem omni ratione, sicut animalia bruta turpiter infatuat. Quinto, acriter mortificat, occidit morte culpæ, infamiae, gehennæ. Sexto, fortiter illaqueat. Jacob Ruben filio suo dixit: « Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui; » at vero quenam est inter effusionem insipidi hujus elementi, et commissum a Ruben incestum proportio? Hæc nimirum, quia sicut aqua dum e vase maxime vitreo effunditur, nihil in eo relinquit odoris, saporis, aut substantiæ; ita quoque hoc carnis vitium omnia bona ab homine tollit, judicium videlicet, rationem, prudentiam, spiritum, famam, facultates, sanitatem, conscientiam, imo etiam persepe vitam. Dicit enim Sapiens: « Qui nutrit scortum, perdet substantiam, et ideo Terentius lascivam feminam fundi calamitatem appellat. S. BOV. in *Diet. sal.*

Quia totum hominem pervertit; uti S. Bernardinus ostendit, dicens: Per creaturam spirituales Deus regit corporales, per creaturam nobilem, ignobilem, per Angelos movet cælos, per cælos movet inferiora, per Principes et Reges regit populares. In

luxurioso pervertitur hoc dominium, quia, cum anima deberet carnem regere, totus homo pervertitur, et homo efficitur caro, juxta illud Genesios: « Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. » (S. BERN. tom. III. s. xi.) Et fusius clariusque demonstrat S. Thomas, dum ait: Per vitium luxuriæ maxime appetitus inferior, scilicet concupiscibilis vehementer intendit suo objecto, scilicet delectabili propter vehementiam passionis et delectationis, et ideo consequens est, quod per luxuriam maxime superiores vires deordinantur, scilicet ratio et voluntas. Sunt autem rationis quatuor actus in agendis. Primo, simplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem ut bonum, et hic actus impeditur per luxuriam. Et ideo Daniel duobus illis iudicibus senibus libidinosis dixit: « Species decipit te, et concupiscentia subvertit cor tuum, » utpote quæ cæcitatem in mente et intellectu inducit. Secundus actus est consilium de his, quæ sunt agenda propter finem; et hic etiam impeditur per concupiscentiam luxuriæ. Nam ut Terentius auctor gentilis de luxuria inquit: Quæ res in se neque consilium, neque modum ulum habet, eam consilio regere non potes, et hinc nascitur præcipitatio, quæ consilii subtractionem importat. Tertius actus est iudicium de agendis, et hic etiam impeditur per luxuriam. Unde Daniel de prædictis lascivis senibus loquens dicit: « Everterunt sensum suum, ut non recordarentur iudiciorum jurtorum; » et hinc derivatur inconsideratio. Quartus autem actus est præceptum rationis de agendo, qui etiam impeditur per luxuriam, in quantum scilicet homo impeditur ex impetu concupiscentiæ ne exequatur id, quod decrevit esse faciendum, citatque eundem Terentium in *Eunucho*, qui cuidam, qui amasiæ suæ renuntiare statuerat, respondit: Hæc verba una falsa lacrymula restinguet. S. THOM. II. q. cxxii. a. 5.

Quia speciem Deo injuriam irrogat; ut S. Augustinus pathetice sequentibus verbis ostendit: Imo quod gravius est, ipsi Deo injuriam et contumeliam infert. Intelligat sanctitas vestra; etenim, quod fieri tibi non vis, aliis ne feceris, ad duo præcepta pertinet. Quomodo pertinet ad duo præcepta? Si homini non feceris, quod pati non vis ab homine, ad proximi præceptum pertinet, ad dilectionem proximi; si autem quod non vis pati ab homine, ipsi Deo vis facere, quid

est hoc? Non facis alteri, quod pati non vis? Charior tibi factus est homo, quam Deus? Ergo quomodo injuriam facio, inquis, ipsi Deo? Corruptus te ipsum, et unde injuriam facio Deo, quia corrumpe me ipsum? Unde facit tibi injuriam, qui voluerit forte lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula, tua imago est, in domo tua inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? Si quis illum lapidet, nonne in te esse contumeliam factam attendis? Cum vero imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes, et per defluentias libidinis; attendis, quia ad nullius uxorem accessisti, et non attendis per libidines et illicitas fornicationes, ejus imaginem violasti? S. AUG. I. I. de *Decem Chordis*.

Quia ipsi Dæmonibus est ecosum, uti Glossa sequentibus verbis indicavit: Fornicationis in opere totus homo absorbetur a carne, ut jam dici non possit animus suus esse, sed simul totus homo possit dici caro; et ideo dicunt alii Doctores, quod sunt aliqui Dæmones qui memores antiquæ suæ nobilitatis, tentare de luxuria dignantur; et est signum ad hoc, quod Lucifer tentans Dominum, non dicitur cum tentasse de vitio carnis. GLOSSA, in c. vi. I. *ad Corinth.*

MEDIA.

Primum et præcipuum semper ab Ascetis aestimatum est *Fuga*, quæ quidem triplex esset debet. Prima cogitationum est fuga, ut scilicet quam primum tentatio hæc in maleria occurrat, statim ad alias cogitationes se tentatus convertat, et ut supra a Fratre isto Egidio Franciscano factum vidiimus, dicat: Extra, extra, quia hospitium captum est, et ideo hic recipi non potestis. Cujus rationem pulchram reddens S. Joannes Damascenus: Quemadmodum, ait, corpori usus libidinis carnisque vicinitas, ita etiam menti memoria ejus penitus subtrahenda; satis enim perniciosum est adhuc infirmis, ægrisque pectoribus, vel tenuissimam recordationem hujus passionis admittere, ita ut nonnumquam eis etiam sub recordatione sanctarum feminarum, velut sub sacre lectionis historia noxiæ titillationis stimulus excitetur. (S. JOAN. DAMASC. de *Fine carnis*. c. xvi.) Hinc recte S. Anselmus pronuntiavit: Cum aliis vitiis potest expectari conflictus, hæc fugienda est, quia aliter melius vinci non potest. (S. ANS. in c.

VI, l. ad Cor.) Secunda fuga occasione est; nam ut sapienter S. Basilus advertit, non in eo tantum laborandum est nobis, ut motus animi in cogitando moderemur, sed quoad fieri possit, ab earum etiam rerum congressu longissime fugiendum est cum primis, quocumque in conspectu nobis adductæ, refricata libidinum memoria, consilium, rationisque vim nobis perturbant, bellaque, et sollicitos in animo angore cient; etenim bellum, quæ præter voluntatem nostram incitant, nobis excipere fortasse necessarium sit, ipsum vere aliquem sibi voluntarie creare, summæ stultitiæ est. (S. BASIL. in *Constit. Mon. c. vi.*) Hinc sicut Romani, inquit Josephus Mansi, olim cum nullo inimicorum pacem inire solebat, quam diu hostis armatus erat; unde qui cum Romanis de pace tractare volebat, huic necessario omnia armorum genera deponenda erant; eodem modo ad propositum nostrum dicere possumus, qui Deum sibi reconciliare, et stabilem cum eo pacem inire cupit, prius armis omnibus renuntiare et cedere, id est, prius omnes occasiones et incentiva peccandi a se arceret debet; deponat arma iniquitatis peccati, nuntium suspectæ illi conversationi remittat, fenestram claudat, comburat amatorias litteras, abiciat amasiorem effigies. Incerta victoria est, inquit S. Cyrilianus, inter hostilia arma pugnare. Quam ob causam et Moyses olim, teste S. Ambrosio, comminuit vituli caput, illudque in pulverem redegit, ut omnia impietatis aboleret vestigia, vel potius ad propositum nostrum, ut omnia lasciviæ aboleret vestigia; vel ut interpres quidam modernus ait, ut significaret, ne pulverem quidem peccati in homine remanere deberet, sed omnia consumi oportere, quod quando homo non facit, sed aliquas occasiones relinquit, arbitrans illas parum nocere posse, quia minima sunt, ex illis occasionem et audaciam accipit Diabolus, ut redeat. (S. AMBROS. ad Rom.) Tertia fuga mulierum est; nam quemadmodum splendorem lucernæ alit oleum, sic et colloquium mulieris ignem reaccendit voluptatis. Utique scintilla diutius si immoretur adhaerens paleis, erumpit in flammam; sic memoriam ejusmodi mulierculæ, si vel tantillum duret, incendium excitat concupiscentiæ. Hinc recte monet Hugo Cardin. Noli commorari, nisi velis comburi, species enim mulierum, et eloquium, et gestus, et ornatus, et quidquid in ea, flamma est ignis. (HUG. CARD. op.

Mansi, disc. III, n. 10.) Imo ad ignem potius ardentem, ait S. Nilus, quam ad mulierem appropinquare, nam si ad ignem accesseris, dolore affectus celeriter resilies, at si femine verbis incensus fueris, haud ita facile recedes. Sic Joseph Ægypti Prorex, ut impudicam dominam evadere posset, pallium, quo apprehensus fuerat, reliquit, et fugit. (S. NIL. de *Septem Vitæ Ass. Gen. xxxix, 12.*) Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam (inquit S. Augustinus) si vis obtinere victoriam. Non tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. (S. AUG. in s. xxv, *Dom. post Trin.*) Nam, ut recte Origenes dixit, ista fuga est, quæ habet salutem, ista fuga virtutis est, ista fuga beatitudinem confert. ORIG. h. viii.

Hinc et aliqui finxerunt, Daphnidem virginem, dum impudicum Leonem fugit, in laurum conversam.

Nutrimen tum tollere; uti S. Ambrosius suasit, dicens: Transiliamus ergo eam, ne nobis dicatur: Ambulate in igne flammæ vestræ, quam accendistis, quoniam sicut ille, qui alligat ignem in sinu, vestimenta comburet; sic qui ambulat per ignem, pedes comburat, necesse est, quoniam scriptum est: Ambulabit quis super carbones ignis, pedes autem non comburent? Libido gravis ignis est, ideo non demus illi alimenta luxuriæ; pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur. S. AMB. l. I, de *Pæn.*

Orationi ferventer incumbere; ut enim ignis igne, ita fervor carnis fervore ardentis orationis pellitur; qua in re pulchrum exemplum S. Chrysanthus Martyr reliquit. Hic enim Christianus factus, fidem Christi publice annuntiabat; quod cum in patris sui notitiam devenisset, hic timens, ne ob id facultates suas pariter, et filium ob tyrannorum persecutionem amitteret, filium suum in obscurum carcerem conjectum panem tantum et aqua nutriri jussit; cum vero per hoc nihil proficeret, quin potius filius ejus constantior Christi confessor per hanc patris sui savitiam evaderet, hoc patri a certo quodam viro propositum est consilium: Si filium tuum ab hac usurpatione conaris eripere magis cum deliciis et voluptatibus occupa, et ejusdemque elegantissimæ atque prudentissimæ puellæ conjugio trade, et cum dilexerit esse maritum, obliviscetur esse Christianus. Audiens hoc pater jubet sericis vestibus strata parari, ipsum quoque confe-

rens de squalida habitatione, vestibus fecti pretiosis indui, et ponere eum in triclinio, elegit quinque pulcherrimas virgines ex ancillis suis, et accuratis vestibus et ornamentis composuit, et cum Chrysantho posuit, et comminatus est eis: Nisi vos vestris jociis et amplexibus cum revocaveritis ab intentione Christianitatis, faciam vos diversis interim suppliciis. Quoniam vero armaturæ genere sanctum hunc juvenem in hoc periculoso certamine usum fuisse existimatis? Jacobat in oratione immobilis, et oscula earum quasi viperas spernens, clamabat ad Dominum dicens: Exurge, Domine, adjuva me. Adversus omnes hos sibi intentatos muliercularum insultus, scutum sibi assumpsit orationis, et omnes illarum conatus gloriose devicit. Nimirum hoc genus Demoniorum non eicitur, nisi per orationem et jejunium. Hinc Salomon dixit: Scivi, quia aliter non possem esse continens, nisi Deus det. Et merito; sicut enim militia dux, cui castrum aliquod commissum est, videns illud ab hostibus, quibus imparem se credit, obsidione cingendum, mox ad castrum dominum litteras mittit, auxiliumque petit; ita idem in simili hoc casu agendum, dicendumque cum S. Augustino: O amor, qui semper ardes, et numquam extingueris, Caritas Deus meus, accende me. Continentiam jubes, da quod jubes, et jube quod vis. S. BERN. tom. IV, s. 21.

Tribulationibus exacerari, quod medium S. Bernardus præcipue suasit dicens: Sit ergo gaudium in tribulatione, et jam non habet malignus, unde alliciat; non habet, unde deficiat. Nihil proficiet inimicus in eo, quem Crux Christi delectat, si carnalem suggesterit delectationem. S. BERN. *Serm. de S. Andr.*

Pœnas luxuriæ destinatos ponderare, uti Salomon suasisse videtur, dum dixit: Si annis multis vixerit homo, et in hi omnibus letatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis. (ECL. II.) Quod clarius exprimit S. Bernardus: Ardor gehennæ, inquit, extinguit in te ardorem superet, stridor ardor minorum ardorem superet, stridor flammarum horribilis amorem depellat libidinis. (S. BERN. s. xxv. *De Mudo bene vivo.*) Quo medio Laurentius Fucci Capuccinus usus est, de quo P. Joannes Rho refert, quod quia is Foroliviæ gravibus invoceturis contra peccatum carnis detonarat, hinc quædam impiorum et lascivorum hominum fex,

quæ intra se contra ipsum conjurarat, nocte quadam in conclave, in quo ipse concionum studio incombabat, conductam quandam introduxerit meretricem, quæ cum ad carnis peccatum sollicitaret; sed quibusnam armis defensivis ipsum in periculoso illo certamine usum fuisse existimatis? Ubi flammam circa se animadvertit, libris intentus, immotusque, ac si nihil acturus esset, scorto ne quidem appellato, digitum lucernæ flammæ admovet, constanterque in illa tenens, donec caro difflueret, incredibili animi pariterque corporis patientia. (JOAN. RUC. l. VII, c. II, § 41.) Merito ergo S. Isidorus hortatur: Proponere tibi adversus presentes carnis ardores, futuri supplicii ignes; superet æstus libidinis, recordatio æterni judicii; memoria ardoris gehennæ, ardorem excludat luxuriæ; fornicationis pœnam, metus gravioris supplicii vincat; fortior dolore minorem exceperit. (S. ISID. l. I, *Symon.*)

Memnisse, se Christi membrum esse; uti S. Anselmus suasit, dicens: Propter Christi reverentiam, ejus membrum est corpus ejus, continet se ab hac turpitudine, magnam enim injuriam, magnamque contemptum Christo faciet, si ei meretricem prætulit, separans se a Deo, et adherens scorto. (S. ANS. in I *Cor. c. xvi.*) Quod confirmans Venerabilis Beda, sic discurrit: Si est alienum corpus, non est in vestra potestate probro illud et injuria afficere, maxime cum sit Dominicum, neque polluere et inquinare templum Sancti Spiritus. Si quis enim privatam domum ingressus, eum cum sit ludificatus, et probro et injuria affecerit, extremum luet supplicium; qui Regis templum fecerit latronis receptaculum, cogita, quot mala sit passurus. VEN. BED. in *cit. c. xvi, I Cor.*

Hinc merito S. Augustinus hortatur: Illicitum amorem cavete. Membra Christi estis, et Christi estis. Audite Apostolum, et terraemini; non potuit enim gravius dicere, non potuit vehementius, non potuit acrius deterrere Christianos ab amore fornicationum, nisi ubi dicit: « Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? » Ut autem hoc diceret, superius ait: « Nescitis, quia qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur? » S. AUG. ser. lxi de *Temp.*

Mortis ætorumque extremorum recordatio; nam, S. Gregorio teste, nihil sic ad edo-

mandum desiderium appetituum carnalium valet, quam ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale mortuum sit, penset. S. GREG. I. XVI. Mor. c. XXIX.

Sed et S. Isidor. calculo suo id probans ait: Quando impulsu Dæmonum mens ad delectationem fornicationis impellitur, divini iudicii metus, et æterna tormenta incendii ante oculos proponantur, quia nimis omnis pena gravioris supplicii formidine superatur. Sicut enim clavus clavum pellit, ita sæpe recordatio ardoris gehennalis ardorem excludit luxuriæ. (SANCTUS ISIDORUS, I. II. de Summo Bono, c. XXXIX.) Hinc et Sanctus Ephrem suasit hoc medium dicens: Inclinemus nos ad sepulchra, et conditionis nostræ occulta perspiciamus; ex cadaveribus permixtos ossium acervos, eraniaque carnis exuta, cum reliquis ossibus cernemus, et hæc considerantes, nosmet ipsos in illis velut in speculo contemplabimur. Ubi juventutis flos, et pulchritudo? Ubi venustus ille genarum color? Hæc nobiscum cogitantes, carnis desideria fugiamus. (S. EPHEM, de Vita spirituali, n. 40.) Cujus mediæ efficaciam præ cæteris expertus est Bononiensis ille adolescens, voluptatibus carnalibus penitus immersus, de quo scribitur, quod, cum Religiosum quemdam patriam suam ad se visitandi causa venturum fore intellexisset, eum quidem perhumaniter, magnaque cum benevolentia exceperit, simul tamen, ut in discursu suo ab omni spirituali materia abstinere, obnixè rogarit; a qua proinde Religiosus ille, ut patriæ morem gereret, pro tunc quidem abstinuit, verumtamen postquam viso omni deliciarum ejus apparatu, maxime vero molli lecto, superbisque lecti sterniis conspectis, jam in prociuctu esset, ut abiret, pauca quidem, sed magnam in se energiam habentia verba protulit, dicens: Obsecro, ut lecti illius semper memor esse velis, quem tibi Deus per Isaiam infallibiliter promittit, dicens: « Subter te sternetur tinea et operimentum tuum erunt vermes! » Quæ sententia huic lascivo juveni adeo tenaciter impressa remansit, ut protinus carnalibus voluptatibus abdicatis, paupertatem et austeritatem amplexus fuerit religiosam. MANSI, I. XXIX, n. 3.

Perfecta humilitas et subjectio erga Deum; utpote sine qua, teste Cassiano, nullius penitus vitii poterit triumphus acquiri. (CASS. I. VI, Inst. c. II) Nam, ut S. Gregorius ait,

si mens Deo subdi humiliter despiciat, carnis suæ desideria dominando ac præmiendo non præmisit. S. GREG. I. V, in I. Reg. c. XIV.

Sensuum accurata custodia; nam, ut recte discurrit S. Gregorius, cum sit invisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, sed per quinque corporis sensus quasi per fenestras inferiora respiciens concupiscit. S. GREG. I. XXI. Mor. c. II.

Hinc et enim Jeremias ait: Mors ascendit per fenestras, ingressa est domus nostras. (JER. IX, 21.) Mors quippe per fenestras ascendit, et domum ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis. Ne ergo quedam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est, quia intueri non decet, quod non licet concupisci. Nam, ut idem postea ait, præcepit anima, dum ante non providet, ne incaute videat quod concupiscat, cæca post incipit desiderare quod vidit.

Ut detestatio; nam, ut bene advertit S. Gregorius, cum duas simul res cogitare non possumus, fit, ut aliquid aliud cogitando, et domum ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis. Ne ergo quedam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est, quia intueri non decet, quod non licet concupisci. Nam, ut idem postea ait, præcepit anima, dum ante non providet, ne incaute videat quod concupiscat, cæca post incipit desiderare quod vidit.

Ut detestatio; nam, ut bene advertit S. Gregorius, cum duas simul res cogitare non possumus, fit, ut aliquid aliud cogitando, et domum ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis. Ne ergo quedam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est, quia intueri non decet, quod non licet concupisci. Nam, ut idem postea ait, præcepit anima, dum ante non providet, ne incaute videat quod concupiscat, cæca post incipit desiderare quod vidit.

Corporis castigatio; nam, teste S. Ambrosio, libido gravis ignis est, et ideo non demus illi alimenta luxuriæ. Pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur. (S. AMB. I. I. de Pen. c. XIV.) E contrario vero abstinentia ciborum contra vitium hoc fortissima est, teste S. Gregorio; sicut enim castellanus fane subactus, castrum tradidit ad libitum impugnantis; ita luxuria per famem domita corpus ad libitum hominis et rationis tradit, quemadmodum recte dixit S. Albertus Magnus. (S. GREG. I. V, c. XIV, in I. Reg.)

Præsentia Dei menti firmiter impressa;

cujus efficaciam sic ostendit S. Ambrosius: Detur mihi captus adulterinæ cupiditatis intemperantissimo astu, qui nollit repugnare carnis suæ appetitui, incuriosus justitiæ, tamen sollicitus famæ, erubescens testimonium erroris, qui ipsum non erubescit errorem. Si quem forte spectatorem noverit facinoris sui, verecundia sequestrat intemperantiam, et pudore inceptum scelus deserit; quanto magis si Deum inspectorem cogitarit, abstinerebit. S. AMB. in X. Matth. Certe S. Basilii de pugnis adversus hoc vitium luxuriæ discurrens: Hæc omnia, inquit, ei familia sunt, qui Deum semper præsentem aspiciat. S. BASIL. in qq. fusc. explic. 20.

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, quomodo excitentur ejusmodi turpes phantasiae, ut tanto facilius easdem occurrere possit. Hoc autem Sanctus Macarius Eremita sequentibus verbis ostendit: Si pulchritudinem mulieris conspexerit carnali cupiditate, mox vulneratus est, et ita postmodum susceptiva memoria per formationem conceptuum, pronamque meditationem depingit interius imagines eorum, quæ cum affectu et libenter conspiciuntur, eaque ratione spiritibus malignis operam dantibus, miserum et affectibus adhuc deditum animum inquinant, quod superest; caro si pinguis, si juvenilis, si humidior fuerit, hujusmodi memoriis ab affectu quamprimum excitata, mota pro libidine, versatur circa ea, quæ reperit, in eis exercens immunditiam, interdum in somniis, quandoque inter vigilantiam. S. MACARIUS, apud Mansi, d. XVI, n. 16.

Nosse debet, cur vitium hoc specialiter hominem Regni incapax Dei faciat; quod triplicem ob rationem fieri ostendit D. Bernardinus: Primo, quia Regnum Dei est mundissimum, carnalis autem immundus. Secundo, quia Regnum Dei est incorruptibile, carnalis autem corruptibilis; quia amans corruptiones corruptibilis est, sed corruptio non possidet incorruptionem. Tertio, quia illud est ordinatissimum, carnalis inordinatissimus. S. BERNARD. tom. III de Reg. cæli c. V.

Nosse debet, cur peccatum hoc maximum vitiorum reputetur ab Ascetis; id quod S. Bernardus ostendit, dicens: Inter cætera vitia fornicatio maximum scelus est, quia per

carnis immunditiam templum Dei violat, et tollens membrum Christi, facit membrum meretricis. Luxuria inimica est Deo. S. BERNARDUS, s. XXIII de Mod. bene viv. Unde merito hortatur S. Chrysostomus: Revere eum, qui in te inhabitat, is est enim Paracletus; formida eum, qui est tibi conglutinatus, est enim Christus. S. CHRYS. hom. XVIII in I. ad Cor.

Nosse debet, cur vitium hoc præcipue spiritualibus et devotis viris sit fugiendum; id quod Josephus Mansi sequenti discursu ostendit: Quodnam in eo putatis latere mysterium, quod Deus mel, liquorem adeo suavem et salutare, atque a virginibus fabricatum in sacrificium sibi offerri prohibuerit, maxime cum cera, quæ ex melle nascitur, et mellis pars quadam est, in Dei honorem licite et laudabiliter ardeat? Varia quidem hujus prohibitionis assignari possunt cause, verumtamen illam, quæ nostro proposito quam maxime adaptatur, tangit S. Pet. Dam. qui in melle voluptatem carnalem symbolizari assertit; per quod intelligitur, quod his, qui Deo vite suæ sacrificium offerunt, nullam Deum carnalem vult inesse dulcedinem, nihil in eis vivere, quod ad carnalem pertineat voluptatem. Oleaster pariter super idem Levitici caput observat, quod, cum oblatio sacrificii concernari debuerit, huic autem liquori proprium sit, quod in ignem effusum gravem excitare foetorem solet, ideo ab Altari liquor ille mellis proscriptus fuerit; forte ideo, quia combustum nullum emittit odorem, sed foetorem potius. MANSI, d. XVI, n. 10.

Nosse debet, cur vitium hoc tam difficile curabile sit; nam ut idem Mansi ex auctoribus probat, et experientia compertum est, quod ii, qui tot annis, quibus Christus vixit, in hoc vitio perseverant, sint incurabiles, et quasi desperatae salutis, nisi mira, rara, et extraordinaria Dei gratia eis succurrat; cuius rationem assignat S. Bonav. dicens: Nam ipse vendidit, et destruxit, quicquid habebat, scilicet Deum et Sanctos, animam, famam, gloriam, substantiam, et gratiam. S. BONAV. in Diet. salut. tit. I, c. IX.

Nosse debet, si in ullo alio, in hoc vitio diffidentiam in propriis viribus esse necessariam; ut sapienter S. Cyprilianus declaravit, dicens: Expedi plus bene timere, quam male de se fidere; et utilis est, ut infirmum se homo cognoscat, ut fortis existat, quam fortis videri velit, et infirmus emergeat; et

paulo post subdit : Inestimabilis pietas, ut timendo feminarum blandimenta vincamus. S. Cyr. de Sing. Cler. n. 10.

Nosse debet, quod vitium hoc peculiariter infestat ad perfectionem tendentes; uti bene S. Greg. ostendit, dum ait : In via autem Israel Amalec restitit, quia libido ad perfectionem tendentibus arma volaptatis objicit, et corda, quæ potest, gladio immundæ suggestionis ferit. Et quia valde fortis et violenta est pugna fornicationis, restitisse perhibetur, non quomodolibet obviasse; resistere quippe forti, expugnationi instare est. S. GREG. I. VI in I. Reg. c. xv.

Nosse debet, quousque huic Amalec resistere debeat; scilicet implendo illud Dei mandatum : Non parcas ei, et non concupiscas illum aliquid, sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum, et lactentem, et bovem, et asinum, et ovem, et camelum. (L. I REG. c. xv.) Super quæ verba S. Gregorius ait : Pareit Amalec, qui blandimenta lascivie aut in locutione, aut per intentionem, aut in cogitatione tenet. Dicit, non parcas ei, quia de tam nequissimo vitio nihil accendi debet in mente, nihil permitti debet in opere ardere. Non concupiscas ipsius aliquid, ut penitus eradicetur a cogitatione.

Nosse debet quomodo, seu quibus armis resistere huic Amalec debeat, alterique suadere, nimirum tribus præcipue. 1. Manifestatione tentationis; quia, ut Cassianus ait, non valet ignorantia ejus callidus hostis illudere, qui universas cogitationes in corde nascentes, perniciosa verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum vel reprobatur, vel admittit. Illico namque ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit, et ante, quam discretionis iudicium proferatur, serpens deterrimus velut e tenebroso ac subterraneo specu virtute confessionis pertractus ad lucem, et traductus quodammodo ac deonestatus discedit. Tandiu enim suggestiones ejus noxiæ dominantur, quamdiu a nobis in corde celantur. 2. Humilitate, sed ea maxime, qua sibi penitus diffidens, et sperans in Deo, ab hoc auxilium petat, ac expectet (CASS. coll. II, c. x); nam, teste S. Climaco, qui sudoribus ac laboribus suis adversus hujusmodi Adversarium pugnat, is ei similis est qui inimicum suum papyro ligavit; qui vero continentia ac vigiliis pugnat, ei similis est, qui catenis hunc devinxit. Porro is, qui altissima humilitate et va-

citate iracundiæ, sitique depugnat, is ei comparatur, qui occidit inimicum, atque in arena occubuit, arenam vero intellige humilitatem. (S. CLIMAC. gr. 13.) 3. Matura resistentia; nam, quemadmodum miles dum ingressus facile totam domum occupat; ita carnis tentatio haud difficilem mentem subjugat, si semel eam occupare sinatur. Hinc S. Hieronymus monet : Nolo sinas cogitationem libidinis crescere; nihil in te Babylonium, nihil confusionis adulescat. Dum parvus est hostis, interfice. Nequitia, ne zizania crescat, in semine elidatur. Audi Psalmistam dicentem : Beatus, qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram. Quia impossibile est, in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille predicatur beatus, qui, ut cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, et allidet ad petram; petra autem est Christus. S. HIER. in ep. ad Evstoch.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : *Fugite fornicationem*; (I Coa. VI, 18) explicari potest causa primaria cur luxuria sit vitanda, scilicet quia est grandis et specialis injuria Dei, tum in genere, tum in specie omnium trium Personarum. Et 1. *Respectu Dei* in genere, quia polluit et fœdat turpissime imaginem ipsius, ut præclare S. Augustinus indicavit, dum dixit : Facis injuriam Deo, dum te ipsum corrumpis. Et unde, inquis? Unde tibi facit injuriam, qui voluerit forte lapidare tuam tabulam pietatis, in qua imago tua est? Quam vero imaginem Dei, quod est tu, corrumpis per fornicationes et per diffidentias libidinis non attendis, cujus imaginem violasti, cui contumeliam fecisti? (S. AUG. lib. I de X Chord.) 2. *Respectu Dei Patris*, qui creavit corpus nostrum erectum, ut esset domus munda digna anima; quam tamen nos per luxuriam fodamus, et harum porcorum facimus. Hinc Apostolus hortatur : Hæc est voluntas Dei sanctificatione vestra, ut abstineatis a fornicatione; ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut Gentes, quæ ignorant Deum. (I THESS. c. IV, 3.) 3. *Respectu Filii*, qui redemit, et corpore suo sacrosancto pascit nos. Hinc iterum monet Apostolus : An nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo

membrum Christi, faciam membrum meretricis? (I Coa. VI, 13.) Et iterum : Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro. Corpus scilicet non fornicationis, sed Domino tradendo, ut ibidem ait. (Ib. v. 29.) 4. *Respectu Spiritus Sancti*, qui sanctificavit nos, et templum suum constituit, quod per luxuriam fœde polluitur. Unde S. Paulus ait : An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in nobis est? Unde non introibit Spiritus ille in malevolam animam, nec habitabit in corpore subdito peccatis, ut Paulus ait; sed si quis violaverit templum Dei, disperdet illum Deus. (I Coa. III, 17.)

Ex occasione ejusdem thematis potest luxuria Sirenibus comparari. Et in prima quidem parte ostendi quomodo et blando aspectu, et suavi cantu ad sui amorem alliciat, et detineat, quem in finem mulieris a Salome descriptæ artes enarrari possunt. In secunda parte frans hujus Sirenis aperiri potest, quomodo scilicet navim, id est, salutem hominis evertat, et in profundum inferni demergat. In tertia ostendi potest, quomodo hujus Sirenis fraudes vitari debeant, scilicet sequendo factum Ulyssis, et aures mentis cera timoris ac amoris Dei obstruendo.

Ex occasione thematis : *Ne attendas fallaciam mulieris, fœvus enim distillant labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus; novissima autem illius amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps*; (Prov. v, 3.) potest luxuria Dalie comparari. Et 1. ostendi, quomodo in sinum suum recipiat et blandiatur, amorem simulando. 2. Quomodo ipsum tondeat, et fortitudine sua privet, id est, gratia divina, et Dei assistentia. 3. Quomodo eum tradat inimicis, et excecari, in muniam civitatem (hoc est, servitium, et domum mulierum) duci, carceri (angustiarum) mancipari, vinculis ferreis (consuetudinis) ligari, ad molam (laboris et infamiae) damnari, scuticis (stimulis conscientie) cædi, et ab omnibus illudi, ac denique omnino opprimi faciat. Quæ omnia fusiis apud Fabrum, in Auctario, them. 2. in festo S. Matthiæ, explicata videri possunt.

Ex occasione thematis : *Ignis est usque ad perditionem devorans, omnia eradicans genuina*; (JOAN. XXXI, 12.) potest luxuria igni devoranti comparari, et 1. ostendi, quomodo devoret substantiam temporalem, uti filius

prodigus expertus est. Unde merito Siracides monet : Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te, et hereditatem tuam. (ECCL. IX, 6.) Quod confirmans S. Augustinus ait : Luxuria perdit omnem substantiam, et ad presens voluptate delinens futuram non sinit cogitare pauperlatem. (S. AUG. de Doctr. Christ.) 2. Quomodo devoret Famam; hinc iterum Ecclesiasticus monet : Ne des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tuâ, et confundaris. (ECCL. IX, 2.) Sed et S. Augustinus id confirmans ait : Qualis est in oculis hominum, qui inversis pedibus ambulare nititur; talis est in oculis Angelorum, cui propria caro dominatur. (S. AUG.) 3. Quomodo devoret sanitatem et vitam corporis; cum nihil adeo corpus debilitet, vitamque abbreviet, quam luxuriæ frequentia. 4. Quomodo devoret animam; scilicet eam in eternum interitum præcipitando, uti Salomon indicavit, dum dixit : Fovea profunda est meretrix, et puteus angustus aliena. Insuper dicitur in via quasi latro, et, quos incautos viderit, interficiet. (PROV. XXIII, 27.) Quæ omnia fusiis explicata videri possunt apud Moreh. in Hort. Post. tr. IV, lect. VIII, pro. 2 et 3, et apud Fab. conc. 5, festo S. Mariæ Magdalene, ubi ob hæc causam comparant luxuriam bestie, quam Daniel sequentibus verbis descripsit : Ecce alia bestia similis urso in parte stetit, et tres orlines in ore ejus, et dentibus ejus. Et sic dicebant ei : Surge, comede carnes plurimas. (DANIEL VII, 3.)

Ex occasione thematis : *Vite inferi domus ejus*; (Prov. VII, 27.) potest luxuria inferno comparari; quia sicut in hoc tria specialiter reperuntur, scilicet ignis ardens, vermis rodens, et sulphur fetens; sic in luxuria, quoque reperitur ignis concupiscentiæ, vermis seu remorsus conscientie, et sulphur infamie. Unde et S. Hieronymus exclamat : O luxuria! O ignis infernalis, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ prava concupiscentia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus flis gehenna! (S. HIER. apud Drex. in Nicet. I, c. x.)

Ex occasione thematis : *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant?* (Prov. VI, 27.) possunt afferri remedia pro luxuria vitanda, scilicet ea ipsa, quæ pro igne extinguendo adhibentur, quorum primum est, aqua fri-

gida affusio, per quam corporis castigatio intelligitur. Alterum *ignorum subtractio*, seu fuga occasionum, aut rerum ad luxuriam incitantium. Tertium *Venerabilis Sacramenti aut reliquiarum sanctarum adversus ignem conversio*, seu invocatio Christi et Sanctorum, præcipue Virginis sine macula conceptæ, cujus patrocinium adversus hunc ignem luxuriæ mire efficac fuisse, quotidiana experientia compertum est.

Ex occasione thematis : *Et ceperunt se omnes excusare*; proponi possunt, et refutari excusationes, quas luxuriosi præferunt. Nempe 1. *Quod non possint se continere*; qui refutentur, tum illo Dei efflato : Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius; tum exemplo S. Augustini, cui continentia cum grege puerorum et puellarum quasi subridens dixit : Potuerunt isti, et istæ, et tu non poteris? tum instantia potus venenati, quo etiam in summo æstu concupiscentiæ facile quis abstineret. 2. *Quod nulli injuriam faciant*; qui refutentur ex eo, quod grandis injuria fiat Deo, corpori proprio et alieno dum pollutantur; et animabus, cum ad servitium carnis deprimentur. 3. *Quod Oseas ipse a Deo uxorem fornicationum assumere jussus sit*; qui refutentur ex eo, quod non fornicari jussus sit, sed uxorem qua fornicata fuerat, per legitimum matrimonium sibi copulare. Vide has refutationes fusiuss apud Marchant. in *Horto Post.* tr. IV, lect. VIII, prop. 3.

ALII CONCEPTUS PREDICABILES.

QUALITAS.—S. Thomas Villanova lascivum hominem per salamandram præfigurari dicit, quam scriptores in igne nutriri et vivere asserunt. Totus a pestifero illo igne devoratus est, inquit de lascivo; nec illum quidquam præter flammam cogitare permittit, in igne solum veluti salamandra nutritur. S. THOM. VILLAN. *conc. 2, de S. Ideph.*

DAMNUM.—In urbe Nicosensi, quæ totius regni Cypri primaria, et a Mustapha expugnata civitas, sive Metropolis est, cum puella quedam unicam tantum ignis scintillam in munitionem pulveris tormentarii immisisset, universum quoque potentissimum illius exercitum igne combussit. Idem quo-

que de hoc carnalis concupiscentiæ igne dici potest, unica tantum scintilla, unicus obtutus impurus, unicum verbum, vel gestus aliqui nonnumquam ad accendendum ignem quandam inextinguibilem sufficit, qui prodromus est ad infernum. Unica solum scintilla ad fomitem accendendum sufficit, dum is satis fuerit dispositus et sicens; ita quoque, inquit D. Chrysostomus, voluptates si juventutem aggressæ fuerint, tum vere ignis cum igne miscebitur, stipula cum fornace jungetur, colloquium mulieris; ecce tibi favillam, quasi ignis exardescit, ecce tibi flammam succensam. P. FLAMIN. STRADA, l. II, *Prolog. Acad.* 2.

Ingeniosus est ille Clementis Romani conceptus, per quem rationem reddit, cur in creata et incarnata Dei sapientia, quam vere dici debet : Omnia in sapientia fecisti, sacrosanctum Baptismatis lavacrum potius in elemento aque instituerit, quam in alia quapiam materia. Dicit enim ideo id factum esse, ut in aqua regenerati, ignem vetustæ nativitatæ extinguerent. Prima enim nostra nativitas per ignem concupiscentiæ descendit, et ideo dispensatione divina secunda hæc per aquam introductur, ut restinguat ignis naturam; porro de quolibet homine dici potest : Nec est, qui se abscondat a calore ejus. S. CLEM. ROMAN. l. IX *Recognit.*

Seneca inter cætera ait : Nullum sine igne fulmen venit, sed hoc proprie igneum dicimus, quod manifesta ardoris vestigia imprimit, quod aut urit, aut infuscat. SENECA, l. *gg. natur.* c. XI.

S. Augustinus rationem reddere volens, cur mundus in fine sæculorum potius ab igne desolandus et consumendus sit, quam ab alia aliqua creatura, ideo id futurum esse dicit, quia in carnalis concupiscentiæ flammis continuo exarsit. Totus mundus in igne positus est, conveniens igitur erat, ut supplicium huic igni corresponderet per ejusdem elementi incendium. Significatum est in fine sæculi per ignem judicandos esse carnales. S. AUG. l. XVI, *de Civ. Dei*, c. XXIV.

In libro Job scribitur : *Aspergatur in tabernaculo ejus sulphur.* (Job. c. XVIII, 15.) Quænam vero, dicit aliquis, est hæc cereemonia, qua hominis carnalibus voluptatibus dediti habitatio sulphure, quod foetet, perfumari jubetur? Mysterium hujus passionis pulchre nobis explicat S. Greg. dum ait : Sulphur quid aliud, quam fomentum ignis est, quod tamen sic ignem nutrit, ut

foetorem gravissimum exhalet? Quid itaque in sulphure, nisi peccatum aliud accipimus, quod dum perversis cogitationibus, quasi quibusdam foetibus mentem replet, æterna ei incendia præparat?

Quoties impudica mulier Dalila ex Samsonis ore elicere tentavit, in quoniam præcipue ejus fortitudine consisteret, verumtamen sæpius repulsam passa, nihil obtinuit. At vero quando eum dormire fecit super genua sua, et in sinu suo reclinare caput, vocavit tonsorem, et rasit septem crines capitis ejus, et cepit abigere eum, et a se repellere; et mox Philisthæi accurrerunt, ut eum ligarent, dumque se pristina præditum fortitudine credidit, ea se destitutum esse animadvertit, nesciens quod recessisset ab eo Dominus. Porro capilli bona denotant desideria (præcipue capilli Nazaræorum, qui speciali quodam ritu Deo consecrati erant) hos autem capillos Dalila, id est, affectio carnalis rescindit, quia omnem bonam cogitationem, orationem, meditationem, devotionem, omnemque ad exercitia spiritualia applicationem ab homine tollit. Cuneta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore; carnalis enim homo omnem suum amorem, omnemque mentis applicationem, objecto, quod diligit, immobiliter affigit. (S. GREG. l. XIV *Mor.* c. x.) Unde S. Isidorus Pelusiota ad Zosimum ita scribit : Cum libido et corporis robur, et animi vires dejiciat et adimat, eumque, qui hoc vitio captus est, omnibus illudendum et irridendum proponat, quemadmodum excaecatus Samson docet, eo quod tu voluntariam captivitatem accersis, nec naturale robur illæsum atque integrum servas, verum vitiosis affectionibus sciendum te ultro præbes; et Deum, qui in vita tua, ubi caput reclinet, non habet, mœrore afficis; et nos, qui pro tua salute vota facimus, oppugnans, et injuriam tibi ipsi inferis, dum salutaria medicamenta repudias. S. ISID. PELUS. l. I, ep. cxxxv.

Quantum hoc carnis vitium in Ecclesiasticis detestabile sit, ex quodam Armenorum errore perspicue colligitur; hi namque in ea opinione firmiter persistebant, quod Ecclesiasticus publicam et privitam fornicationem committens, consecrandi amissa potestate, deinceps ad Sacramenta conficienda aptus non sit. E contra vero, si idem fieret Apostata, Hæreticus, Judæus, vel Mahometanus, sufficere credebant, si talis ageret

penitentiam, nec quidquam aliud requiri, ut talis ad gremium redeat Ecclesie. RAYNALD. *anno 134*, n. 30.

Beatus Petrus Damianus vulpem expressam hanc tradit esse proprietatem. Dum se mortuum fingit, mortem volucris veraciter ingerit; nam dum esurit, et anxie requirenti, quod comedat, non occurrit, quærit ubi sit rubra terra, et dum reperit, toto corpore in ea pervolvitur, ut quasi carum nuda et cruenta videatur; mox sese in terram quasi mortuum projicit, flatum intra se reprimat, ut non respiret, illicque hoc modo cruenta videtur et turgida, ab incautis volucris non dubitari extincta; descendunt itaque, ut eam comedant, sed illa repente proliens, arripit, easque veraciter devorat, quas ad se devorandum fallaciter invitabat. Hancque vulpis astutiam tartareo serpenti invidio, pariter et astuto, egregie adaptat, dicens : Hujus deceptor antiquus specimen exprimit, qui carnalia lucra quærentibus se quasi mortuum fingit, illisque opera sua tamquam membra sua, quibus vescantur, exponit. *Manifesta enim sunt opera carnis, quæ sunt*, ut dicit Apostolus, *fornicatio, immunditia, luxuria, etc.* Hæc plane sunt iniqui spiritus viscera, hæc reproborum et carnaliter viventium quotidiana sunt alimenta, ad hæc dum perditique velut esurientes inhiant, eos malignus spiritus, tamquam volucres vulpes dolosa deglutit, eosque in sui corporis viscera trajicit. S. PAVLUS DAM. c. I, ep. 18.

Quando columbam, quæ symbolum est castitatis, a Noe post diluvium, ut in Genesi scribitur, emissam fuit, non invenit, ubi pedunculosa sicut figeret, ideoque ad Arcam reversa est, ut per hoc significetur, quod illi, qui honestatis et pudicitie cultores et zelatores sunt, omnem fugiant immunditiæ contrahendæ occasionem et periculum. Non vero sic corvus, per quem Dæmon et homo carnalis figuratur; hic enim ad nihil aliud intensus est, quam ad quærendas et devorandas carnes, quas inveniens iis affluxus hæret, et in luto quoque ipso quiescit. MANST. dis. VII, n. 11.

S. Job sub titulo *Behemot* de Dæmone loquitur, ostenditque quisnam lectus quietis ejus existat : *Sub umbra dormit in secreto calami, in locis hærentibus.* Enimvero scire hoc loco percupeperem, qualis hujus loci, in quo Dæmon quiescit et dulciter dormit, sit

juuanditas et amœnitas? Sed ecce Sanctus Antonius de Padua omne nobis quoad hoc dubium eximit, dicit enim: In locis humentibus, id est, in conscientia, quæ prius fuerit humida per immunditiam, suaviter obdormiscit et dulciter quiescit. Idem quoque S. Antonius super illa Salvatoris nostri verba apud S. Lucam: *Cum immandus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca iniquosa, querens requiem, et non inueniens dicit: Revertar in domum meam, unde exiui*; ita scribit: Sed nota, quod in aridis non inuenit requiem, quia ibi non potest figere pedem suum. S. ANT. DE PAD. s. in *Domini*. II. *Quadrages.*

In libro Judicum Jahaem Sisaram sitiēti lac loco aque supposuisse legimus; sed considera, quo fine idipsum fecerit. Certe non alio, quam ut ei soporem conciliaret, ac tandem dormientis tempora crudeliter clavo transfigeret. Aquam petenti lac dedit, et in phiala Principum obtulit butyrum, sinistram manum misit ad clavum, et dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram, quærens in capite vulneri locum, et tempora valide perforans. Idem quoque majori hominum parti a lenocinante mulierum sexu accidit. Dicit enim quavis lasciva mulier lenoni eam concupiscenti: Intra ad me, domine mi, intra, ne timeas. Quot vero sunt, qui non cum timore, sed cum lætitia et júbilo ingrediuntur, sequæ ob inventam hanc, et sponte oblatam carnalis peccati committendi occasionem felices existimant; at vero dum lactis suavitatem, id est, carnis delectationem gustaturos esse sperant, clavum ab adversaria sibi infixum esse experiuntur, non solum in corde per remorsum et vermem malæ conscientia, verum etiam frequenter in corpore et anima simul, per conciliatam sibi mortem temporalem pariter, et æternam. JERU. c. v. 25, 26.

Scribitur, quod mulier quædam Ægyptia, eo quod parvulum quemdam crocodilum penes se educabat, a vulgo felix et beata existimata fuerit, eo quod domi suæ educaret numen divinum (tale enim Ægyptii esse credebant crocodilum, utpote quem veluti Deum adorabant) filius quoque hujus mulieris eum hoc crocodilo quotidie familiariter jocularetur et luderet; accidit autem, quod bellua hæc crescentibus annis adultior facta, ad congenitam sibi sævitiam rediens, eundem filium consuetis ludis cum eodem jocantem tandem inhumaniter occidit et

dilaniarit; hæc fuit gratitudo, quam benefactrici et nutrici suæ exhibuit. Idem quoque nobis accidit, qui infestissimum animæ nostræ inimicum (quia caro concupiscit adversus spiritum) delicate nutritus, eique ablandimur; verumtamen cavete vobis, quia qui delicate nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem. MANST. dis. x. n. 23.

S. Bonaventura parabolam de magna cœna exponens, sic loquitur: Inter alias, qui vocati sunt ad magnam cœnam, nec ierunt ille, qui uxorem duxit, non petit se excusatum haberi, per quod patere potest, quam longe sint a cœna Dei luxuriosi homines et imundi, si ducere uxorem ita hominem implicat et involvit, quod quasi nihil aliud cogitare possunt. (S. BONAV. tom. VII. in *Biblioth. Paup.* c. IX.) S. Antonius de Padua quoque, in quodam sermone super hoc Evangelium, querit: Quare duo primi rogaverunt excusationem; tertius vero non? Ad quod dicitur, quod voluptas carnis ita detinet hominem in deliciis, quod nec ad delicias æternas venire desiderat, nec excusari curat, et per hoc patet, quod Deum non diligit.

Berchorius scribit in Lyciæ montibus, qui Ephestii dicuntur, certum quoddam ignis genus reperiri, qui omnia devorat et consumit, etiam lapides, neque aqua extinguitur, sed tunc solum extinguitur, quando terra aut fœnum ipsi super injiciatur, teste Plinio, lib. II, *Historiæ Naturalis*, in fine. Qualenam desiderare potestis ignis libidinis aptius symbolum utpote qui proprium est, omnes virtutes, omnem gratiam, omne meritum, cuncta denique naturæ et fortunæ bona consumere? Ignis est usque ad perditionem devorans, omnia eradicans genimina; imo ipsos quoque consumit lapides, et durissimas petras, id est, viros in perfectione constantissimos et solidissimos, quales fuerunt Samson, David, Salomon, nec quidquam hunc ignem extinguere prevalet, quia divitiæ, dominia, sanitas, et fortunæ prosperitas, illum potius magis, magisque accendunt, sæpe etiam sapientia, pietas, timor Dei, spiritualis vita ad hunc effectum extinguendi illius ignis pertinere nequeunt. At vero si homo ad considerandam terram sepulchri, aut cinerem, et pulverem, in quem hæc caro, quæ tantopere amatur, tandem reducatur, serio se applicaverit, si firmiter recogitet, quod

omnis caro sit fœnum, jam facili negotio extinguetur. Nil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc quod vivum diligit, quale sit mortuum penset. BERCHOR. v. *Luxuria.*

Huc spectat casus illo funestus, qui in Hispania celebri cuidam prædicatori accidit, qui cum illustris ejusdem valdeque conspicui equitis domesticus esset, conjugis ejus amore accensus, illum sæpius ad illicitos sollicitare concubitus non erubuit; quem licet ista constanter a se repelleret, ille tamen a sollicitationum suarum violentia ob id minime destitit; illa lascivum hunc prædicatorem decipere volens, omnia, quæ lætens inter ipsum et illam intercesserant, marito aperuit, de cuius consensu pariter et consilio, certam huic lubrico viro horam et locum designavit, in quo nocturno tempore diu concupitis illius frui amplexibus posset, dumque circa illud tempus et locum maritus, cum bono numero armatorum servorum suorum scortatorem hunc in cubiculo vicino præstolaretur. Tandem sacrilegus ille veste seculari indutus, enseque et pugione accinctus et armatus advenit, et designatum locum ingressum uxor equitis in eandem cameram secuta fuit, dumque vim illi inferre vellet, ipsa quidem pactis inter se et maritum nubiis et signo, maritum et armatos, ut accelerarent ingredi, advocavit, sed nemine illorum accurrente, ipsi unguibus, dentibus et calcibus omnem ei violentiam intulit, ut ab ejus se manibus proripere posset; at vero cum resistere non valens, ad femur ejus pugionem suspensum vidisset, eundem e vagina clam extractum lateri ejus infixit, et occidit. Cumque hoc pacto ab ejus se violentia feliciter expeditisset, ad cameram, in qua juxta conductum maritus cum servis suis armatis sacrilegum expectare debebant, accurrens, ipsos immobiliter stantes, et mortuos potius, quam vivos similes invenit, cumque eorum auribus alta voce inelamasset, eorumque corpora hinc inde moveret, truderet, convelleret, magiam in hæc re intercedere suspicata est, nec frustra; ad mortui igitur cadaver reversa, illud per nonnullos in forum publicum relictum in vulnere ferro deportari fecit. Viso autem a curia et agnito corpore, Gubernator loci illius, Priorem conventus illius, ad cuius familiam pessimus hic Religiosus spectabat, conveniens, totum

ei rei geste eventum a capite ad calcem usque distincte recensuit. Ingredients igitur cellam ejus, faculam quamdam sub obscuro et quasi mortuo lumine juxta eam ardentem repererunt; eaque extincta, mox maritus et servi ejus velut et profundo quodam lethargo evigilant, ambo conjuges coram judice, qui cadaver sacrilegi in profanum quemdam locum sepeliri jussit, totam rei geste historiam seriatim exposuerunt. DELRIO, de *Magia* I. III, p. 4.

S. Ephrem Syrus in *Exhortat. Spiritu*. ait: Quandocumque concupiscentia in animum sese insinuavit, mox ipsum cogitatione circumdat et obsidet, et salutis ingressum præcludit; inferno ergo similis est illa turpis lascivie passio, nam quem semel tyrannice suæ potestati subiecit, ei spem omnem libertatis adimere videtur, nec modum relinquere, quo tam crudelem dominum, tam potentem tyrannum evadere possit. Huc sine dubio alusit Sanctus Augustinus, apud Salazar. Proverb. II, v. 29, num. 165, quando hoc fœdum vitium vocat æterni ignis emulum. Dicitur autem *obscena libido ignis æterni emula*, quia, ut ille ignis, quem semel occupavit, adurit et exurit, vehementi suo ardore affligit, nec consumit, mortali erediæ immortaliter torquet, nec effugi unquam potest; sic lascivie flamma, quem semel corripuit, ejus intimum pectus et penitissimas medullas depascitur, videtur inferni quidam ignis esse, absque spe remedii; nunquam relinquat eum, quem semel subegit, ac prostravit. Præclare hoc dixit Salomonius Viennensis in expositione mystica Proverbiorum Salomonis, ubi habet ista: Qui verba meretricis libenter audit, et oscula ejus delectabiliter suscipit, quasi januam pulsant inferni. Qui mellea blandiloquentula lupæ verba avidis auribus cum voluptate excipit, suaviaque admittit, et labra labris hilariter permittit, va misero illi! Quomobrem vero? Quia quasi januam pulsant inferni, inferorumque fores sibi aperiri postulat, qui cum scortis consuescit, aut turpi libidinis vitio se tradit, quod nihil mitius est inferno; nam ut nullum habet portam, qua egrediatur, qui inferno semel est inclusus; ita ei qui veneræ se concupiscentiæ mancipavit, videtur omnis evadendi spes ablata. DID. NYSS. in *Vita Abraham*. I. II, c. v.

De Herode, cui S. Joannes Baptista dixerat: «Non licet tibi habere uxorem fratris

tui ; » Sanctus Andreas Cretensis sic loquitur : Et ille quidem a ratione alienæ voluntariæ congressionis obrutus deliciis, neque se potuit erigere, neque aspexit ad lucem veritatis, sed mansit gravatus crapula libidinis. Velut dixisset : Noli mirari, quod monita Sancti Joannis apud Herodem nihil effecerint ; nam, ut mortuum nemo alloqui, nemo movere potest, ut surgat, quantivis vocibus quis eum inclamet, nisi cœli miraculo aliquo singulari fiat ; atque ut homini, cui vinum rationis usum ademit, nemo persuadere sanum aliquid valet ; sic cum Herodes esset confectus præferendo luxuriæ vino, jaceretque in tumulo libidinis sepultus, velut in deserto voces Joannes tunc dabat, quando illum a turpi et incesta consuetudine sua dehortabatur. Nam ut est frustra neus labor, velle aliquid persuadere ebrio, et loqui defuncto, sic et vana opera est, quæ ad revocandum ab obscenis studiis suis libidinosum vertitur. Hinc æstimate, quanta sit vis hujus crudelis et tyrannicæ passionis. *Ibid.*

Saul, ut habes I Reg. cap. xiv, subiebat Regem Moab, et filios Ammon, et Edom, et Reges Soba, et Philisthaos, et quocumque se vertebat, superabat tanquam mites agni et inermes oves fuissent quicumque illius hostes ; sed diligenter notandum id, quod sacer Scriptor mox subjicit, ac monet : « Congregatorque exercitu percussit Amalec, et eruit Israel de manu vastatorum ejus, v. 48. » Beatissimus Pater Gregorius in hæc ita inquirat : Quid est, quod contra Moab, et Ammon et regem Soba pugnasse et vicisse dicitur, non tamen exercitum congregasse, sed ut Amalec vinceret, exercitum congregavit ? Respondet divinus Pontifex divine, fuisse in Amalec adumbratum luxuriæ vitium ; Amalec enim idem est, quod populus lambens, populus qui blanditur, emollit, lambit, risque ad gratiam fieto, et visu benevolentiore (pro illorum more, quos turpis libido inessit) pellicit. Ergo quod cæteri populi tam facile superati feruntur, ut ad illos debellandos, non fuerit necessum, cogere exercitum, ad subigendum vero Amalec copias adhiberi oportuerit (congregato nimirum exercitu Saul percussit Amalec) tale est, ac si diceretur, reliqua vitia citra multum belli apparatus expugnari posse, ad luxuriæ vero nefas posternendum (cum sit res maxime ardua) necessum esse, omnes coire et fœderari virtutes, ut terræ affligant vitium,

quod tam ægre eradiceatur. Ad extinguendum enim fornicationis spiritum virtus una non sufficit, inquit magnus Papa, numero virtutum exercitu ad hanc rem opus est, atque ut orationi insistas, et diturna inedia te emacies, et solitudinem colas, humilitatem magnam et plurimam ex Deo habeas, ut ab inimico liber evadas, qui difficillime exigitur loco, quem semel occupavit. Sed nota, quod, cum Amalec, turpis vitii symbolum, percussus sacer Textus refert, tunc illud commemorat : Eruit Israel de manu vastatorum ejus. Itane vero cum fudit Amalec, simul omnes evertit quicumque exitium adferebant Israeli ? Immo. Quamquam enim homo cæteris vitiiis omnibus subjaceat, soli autem luxuriæ non sit deditus, purus omnis sceleris videtur ; sed quem lascivia deditum habet, tametsi a vitiiis aliis liber sit, pejus est, quam si flagitiis aliis omnibus contaminatus esset, hoc unum nempe difficiliter superatur, quam omnia reliqua, a quibus solutus videtur, dum non uno illo impeditus. *Idem, fer. vi. post Dom. 3 Quadr. § 7.*

FGGA. — In Deuteronomio Deus Hebræis præcepit, ut si egressi ad prælium suum stravissent inimicum, et intra alia spolia mulierem aliquam eximia pulchritudine conspicuam accepissent, priusquam illam sibi in uxorem adoptarent, et matrimonio jungerent, eidem in domum suam conductæ omnes raderent capillos, unguiculosque præciderent, vestesque, quibus captivitas tempore induta erat, eidem detraherent. Quæ omnia in figura contingebant. Nam, ut Glossa dicit, per hanc mulierem animam peccatricem intelligendam esse, quæ pulchra est ratione imaginis, sed captiva ratione criminis. Hanc Deus in sponsam suam desiderat : *Sponsabo te mihi* ; verumtamen vestes, quibuscum capta est, deponat necessum est : *Oportet, ut deponat vestes, in quibus capta est*, id est, vitia et peccata præterita ; neque hoc etiamnum sufficit, quin etiam ungues et capilli ei præscindantur, id est, peccatorum circumstantiæ eggravantes deponat, et peccati occasiones caveat, quod faciet, si huic vel illi conversationi suspectæ nuntium remittat, si cum peccati complice non amplius commercium habeat, si fenestris affixa deinceps non fuerit. *MANSI, dis. xxxi, n. 10.*

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Antiqui, ut indicarent causam, cur senes etiam sæpe ad luxuriam tam proni sint, finxerunt, mortem et cupidinem in eodem hospitio divertisse, sed cum ex eo discederent, alterum alterius telum ex errore apprehendisse, sicque factum, ut, dum mors senes occidere parabat ad amorem incitavit ; Cupido vero juvenes amore inflammare cupiens, eos omnino interemerit. Unde non male cecinit quidam :

Hinc juvenes occidit Amor, fallente phœetra,
Hinc mors ipsa suos cogit amare senes.
Disce hinc, humano que sint ludibria vite :
Mors thalamum sternit, sternit Amor tumulum.
MARCI. Tub. Sæc. ir. xxx. lect. 8.

Quidam ex Antiquis dixit, Diabolum sibi in uxorem desponsasse Iniquitatem, ex qua varias suscepit filias, quarum primam Superbiam nobilibus, Avaritiam et Usuram mercatoribus, Rapinam et Furtum militibus, Mendacium et Fraudem artificibus et advocatis, Simoniam ecclesiasticis, Hypocrisin religiosis, Invidiam aulicis desponsavit ; at vero Luxuriam liberam esse et omnibus communem voluerit, ut per eam tanto plures homines lucrari posset. *Ibid.*

Cum quidam stolidus, audiente Pythagora, diceret, male se cum mulieribus, quam cum Philosophis versari, recte respondit Pythagoras : Quid mirum, nam et sues libentius in luto, quam in aqua pellucida versantur. *LAERTIUS.*

Luxuria merito *Lux. urens* a nonnemie vocatur, quia hoc igne olim Sancta Christina totum orbem incensum vidit. *ENGELG. p. 1. Dom. 5 post Pen.*

Hieronymus Capivaccius medicus Palavinus testatur, se ex curatione luis Gallicæ plusquam octodecim millia coronatorum fuisse lucratum. *POST. in Att. bel. p. 1, c. iv.*

Soldanus Turcarum quinque millia stipendiariorum alere consuevit pecunia metreticum commercio collecta. *SPONDAN. an. 1260.*

Christus, dum legionem Dæmonum ejecit, eisdem in porcos intrandi potestatem dedit, ut ostenderet, Diabolum iis dominari, qui vitam porcorum gerunt. *S. AUG. in tr. vi, in ep. xxx.*

Pelicanus cum in alto habitare posset, ova in terra abscondit ; quod advertens au-

ceps, circa locum illum accendit ignem, quem, dum advolans pelicanus extingueret, alis cupit, magis accendit, et simul adustus alis facile capitur. Quod ipsum facit Diabolum cum luxuriosis, qui si ignem concupiscentiæ ab eo per socios malos excitatum extingueret voluit, magis inflammatur ; et seipsum amburant. *FAB. conc. viii in Dom. 13 post Pen.*

S. Thomas alicubi ait : Dicunt Magistri, aliquos esse Dæmones, qui memores suæ antiquæ nobilitatis, indignantur homines peccato luxuriæ tentare. Signum hujus est, quod Lucifer tentans Dominum in deserto, non tentavit eum de hoc peccato. *S. THOM. 1. V de Erud. Princ. 11.*

S. Philippus Nerius ex odore impudicos cognoscebat, hinc dicere solebat : Male oles, o fili, male oles. *BAEV. ROM. 26 Jun.*

S. Augustinus exclamans : O voluptates, inquit, quam faciles aditus habetis, et quam difficiles exitus habebitis, cum perimetis ! Dum suadetis, inungitis ; sed postquam suastis, usque ad mortem animæ pungitis. *S. AUG. apud Drezel. in Niceta 1. I. c. xi § 2.*

FGGA. — Recte de vitanda luxuria dicit Seneca : Libidinis initia continebit, qui illius exitum cogitabit. *FAB. in Auct. them. 1. in Dom. xxii. post Pen.*

Nec male eundem in finem cecinit Alanus.

Si vitare velis Venerem, loca, tempora vita,
Nam locus et tempus pabula præbet ei.
Si tu parsequeris, sequitur; fugiendo fugatur.
Si cedis, cedit; si fugis, illa fugit.

ALANUS, de Planctu methro 3.

Abbas Pastor Abbati Ammoni interroganti de immundi cogitationibus dixit : Numquid gloriabitur securis sine eo, qui incidit in ipsam ? Et tu ergo non porrigere eis manus, et otiosæ erant. *Vita PP. 1. X. n. 14.*

DAMMUS. — De hoc vitio sapienter dixit Valerius : Quid hoc vitio fedius ? Quid etiam damnosius ; quo virtus atteritur, vitia languescunt, sopita gloria in infamiam convertitur, animi et corporis vires expugnantur, adeo ut nescias, an ab hostibus, an ab illis capi perniciosius habendum sit ? *VALER. MAX. 1. ix.*

Ut vipera femina in maris complexu ei ad collum adhæret, et morsu caput abscondit, et ipsam postea fetus lacerant ; sic lux-

uria suis amatoribus interitum affert.
ETIAN I. II. c. XXIV.

Quidam causam assignans, cur Venetiis
tot scorta essent, sic cecinit:

Cur urbe in Veneta scortorum millia tot sunt?

In prompta causa est: nam Venus orta mari.

EXORTIO. l. I. in *Dom.* 5. post *Pent.*

Similem causam alius assignavit, cur
Christus die Veneris sit passus.

Luce oblit Veneris, Veneris flet turba, videtur

Causa Dei passus non minima esse Venus.

Ibid.

Doctor Angelicus exponens illud Joannis:
Totus mundus in maligno positus est, sic
ait: Totus mundus in maligno, id est, malo
igne positus est. S. THOM. in *S. Joan.* c. v.
Drexelius brevi compendio damna et reme-
dia luxuriæ his verbis complexus est:

Corpus, opes, animam ingenium, famam, virtutes,

Debitat, perdit, necat, impedit, inficit, aufert.

Olia, mensa, libri, vaga lumina, verba, sodales;

Hæc tolle, hanc minue, hos muta, hæc claude, hæc

fuge, vita hinc.

In *Niceta* c. x.

In quodam monte Orientis lapides sunt
igniferi, qui masculus et femina nuncu-
pantur, et dicuntur Pyroboli. Qui nimirum
cum a se invicem procul sunt, non accen-
duntur; si vero femina appropinquaverit
masculo, protinus ex eis ignis egreditur,
ita ut omnia, quæ circa montem sunt, flam-
mis vaporantibus exurantur. Ab ipsis ergo
lapidibus edocemur, ut, si consumi libidinis
incendio nolumus, muliebris aspectus spe-
ciem declinemus; ne conspecta forma flam-
ma prosiliat, quæ in nobis non montis, sed
mentis fruteta pervadat. S. PETR. DAMIAN.
l. II. *Ep.* XVIII.

In Apulia haud procul Bario, homo nobi-
lis, gradu Marchio, re ipsa carnis suæ Sata-
næ mancipium, virginem piam ex earum
numero, quæ ob desponsatam Christo ex-
tra cœnobia virginitatem *Monachæ domes-
ticæ* audiunt, quanta vi ac nisu poterat
obsistentem, impie sedavit; cumque inter
retinendum virgo, Deiparæ sub ejus tute-
la se esse profitebatur, injuriam et indu-
biam ultionem ingereret, quæ illi foret,
penitentia sementis uberrima; spurcus ad-
missarius: «Equam, inquit, Virginem dicis,
a qua mihi hujus facti penitentia cassa ad-
veniet?» Non tulit Deus tantam blasphemiam
atrocitatem, sacrilegæ impudicitiae junctam,
dum esse impunitam. Vix illis siliquis porcus
iste lutulentus exsaturaverat sacrilegam

libidinem, cum subita morte defunctus est,
sacramentorum Christianorum expers. Ita-
que anima quidem sic abeuritis inferno est
transcripta. Cadaver autem a suis in quodam
Capuciorum conobium est illatum,
et tumulo datum; divinam vindictam, im-
pietatemque, et peccatum ad mortem miseri
hominis, ignorabant Patres. Itaque bona
fide exceptum ejus cadaver, tumulo con-
dunt ritu Christiano, non sine Psalmis, et
aliis Suffragiis, quibus animam defuncti sub-
levarent apud benignum Deum. Sed frustra
satagebant. Nocte tumulationem conse-
quente, pius ex ea familia Religiosus,
templum forte ingressus, super defuncti
tumulum, apprehendit spectrum, tetrum
adeo, et adeo horrendum, ut ferre ex tali
objecto exanimaretur. Ubi vero primum
tantisper ex metu est confirmatus, cœnobii
Præfectum, quid vidisset, admonitum, in-
duxit in eam mentem, ut mandatum sibi
imponeret, de repetendo loco, et spectro
interposita adjuratione urgendo ad patefaci-
endum, quid isthic quæreret. Mandato im-
posito paruit Religiosus; quem Præfectus
ipse cum aliquot aliis ex eadem sacra Fami-
lia illico est consecutus. Adjuratione adhi-
bita, spectrum, quod erat, aperuit. Imagi-
nem scilicet eam esse, animæ Marchionis eo
tumulo proxime conditi, quam Deus justus
Judex ob injuriam sacrilegam, virginis sa-
cere illatam, et jactatas in Deiparæ blas-
phemias, morte subita e corpore impuro
extrusam, æternis ignibus adixerat. Fidem
verbis faciendam, si reserato tumulo, cada-
ver a Dæmonibus asportatum non compareret,
sed putor dumtaxat intolerandus. Aperto
tumulo inanis loculus, carbonum instar ni-
ger ac teter eductus e tumulo in sterquilium
abjectus (mirum dictum) quatuor corvis
præda fuit. Loculum enim diffringere, et
frustatim vorare sunt visi.

AXIOMATA.

Quid facies, facies Veneris, si veneris ante?

Non sedens, sed eas, ne preas per eas.

Boccinius V. *Metricæ*.

Si cedis, cedit; si stas, Venus improbo ledit.

Cypria damna fugas, si sua tela fugis, Ibid.

Dives eram dudum, fecerunt sed tria nudam,

Alea, Vina, Venus, tribus his sum factus egenus.

Ibid.

Luxuriat raro non bene pasta caro.

Recte de Hercule quidam cecinit:

Lanæ non potuit, potuit superare Lanam.
Quem fera non potuit vincere, vicit hera.

Sine Cerere et Baccho friget Venus.

TERENTIUS, in *Eunucho*.

Vinum et mulieres apostatare faciunt sa-
pientes. Eccl. 19. v. II.

AUCTORES.

Joannes Buseus, in *Panario*, V. eodem.

Jeremias Drexelius, in *Niceta*.

Jacobus Marchantius, in *Horto Pastorum*.

lect VIII et IX. Item, *Tub. Sacerd.* tr. 3.

Jacobus Alvarez, tom. II, l. I p. II. c. v et

VI.

Bernardinus Rosignolius, l. II. de *Discipl.*
c. XIV et XV.

Joannes Cassianus, VI. de *Instit. remm.*

Ludovicus Granat, in *Locis Comm.* fol. 655.

et *Duce Pecc.* l. II, c. VII. fol. 631,

Philippus d'Outreman, in *Pædagogio Chris-
tiano* p. I, cap. VII. §. 3.

Petrus Canisius, tom. III. de *Sept. Pecc.*
capit. §. 3.

Henricus Engelgrave, in *Luce Evangel.* p.
I. in *Domiæ*. V. post *Pentec.* et in *Cælo* p. I.

in *festo Annuntiat.* §. 2.

Mathias Faber, conc. VII et VIII. in *Dom.*
XIII. post *Pent.* et in *Festo S. Mariæ Magd.*
conc. v.

Antonius Dauroltius, in *Floribus historicis.*
c. II. præc. VI. tit. 103.

Josephus Langius, in *Polyanthæa*, V. eo-
dem.

Joannes Major, in *magno Speculo Exemplo-
rum*. V. eodem.

FINIS TOMI SECUNDI.